THEOPHIL
DE
HOMICIDIO









THESES
DE
HOMICIDIO
AD DISPUTANDUM
propositæ XXIII Iunij.

* * *
*

PRÆSIDE
NICOLAO THEOPH:

RESPONDENTE
Benedicto Schirmstero, H:

HAFNIÆ
Excudebat Matthias Vinitor,
Anno Domini,

M. D. XCVI.

Thesis I.

Homicidium, de quo, Deo Opt: Max: fauorem nobis suum præstante, disputabimus, est cædes hominis ab homine facta.

II.

Committitur aut Culpa: aut Casu: aut Dolo aut Legis autoritate.

III.

Culpæ nomine negligentia & imprudentia, vel potiús vtriusq; consequens venit.

IIII.

Casum inopinatum rei eventum, qui in manu ac potestate nostra non est, appellamus.

V.

Dolus propositum, studium et voluntatem nocendi significat: Cicero scelus vocat.

VI.

Ex his efficitur IIII esse præcipuas homicidij species, ad quas aliæ, si quæ sunt, non incommode reduci possunt: Culposum sc: Casúale: Dolosum & Legitimum.

VII.

Culposum homicidium est cædes hominis ab homine perpetrata Culpa. h. e. per imprudentiam et indiligentiam, citra animum occidendi.

VIII.

Culpæ imperitia affinis est: Itaq; vnguentarius medicinæ imperitus, si infirmo medicamentum exhibuit, & mors secuta est, culpa non vacat.

Sæuitia

IX.

Sæuitia quoq; nimia culpæ annumeratur: Ludimoderator itaq; & morum adolescentiæ formator, si disciplinæ causa discipulum durius tractat, & mortis occasionem dat, culpæ reus est.

X.

Pro homicidio culpa perpetrato, nemo pœna ordinaria legis Corneliæ de sicarijs, quæ homicidas ferro ultore persequitur, puniri debet: sed mitiore, arbitrio judicis, vt carcere, exilio, pecuniaria animadversione.

XI.

Ratio est: quia cessat dolus, quem Lex Cornelia requirit.

XII.

Casuale homicidium est cædes hominis ab homine perpetrata, non studio, non data opera, neq; etiam culpa præcedente, sed casu & per accidens: Græci ἀκούσιον φόνον *appellant.*

XIII.

Huius cædis illustre est exemplum apud historiarum patrem Herodotum ADRASTVS *Midæ Phrygiæ Regis nepos, Gordij filius: Is enim dum aprum vel vt ipse autor loquitur* σῦς μέγα χρῆμα *iaculo traycere conatur: Crœsi filium vnicum interficit.*

XIV.

Pari fato cecidisse Carolomannum Ludouici Balbi Imperatoris fratrem, annales docent: Dum enim aprum in venatione insequitur, telo a socio venationis in feram directo, traycitur.

XV.

Casuale homicidium veniam meretur, nisi casum præcedat culpa quæ ad casum directa est.

XVI.

Procedit non tantum in simplici homicidio: sed etiam in atrocissimis delictis vt in parricidio: quod, quia omnium scelerum & accusationum est complementum, Lege Pompeia omnium pœnarum gravissima sapiens antiquitas puniendum censuit.

XVII.

Ad hanc speciem referri posse existimamus cædes à furiosis & infantibus factas: Infans vel furiosus, inquit I. C. Modestinus, si hominem occiderint, Lege Cornelia de sicariis non tenentur: cum alterum innocentia consilij tuetur, alterum fati infelicitas excusat.

XVIII.

Quod de furiosis dicitur, de ijs accipiendum est qui continua mentis alienatione omni intellectu carent & prorsus nullum habent rationis vsum: Nam qui dilucida habent furoris intervalla, vel quos morbus non sine laxamento agrreditur: si tempore sanæ mentis delinquunt, pœnis afficiendi sunt.

XIX.

Infantes eos intelligimus, qui doli minime capaces & infantiæ proximi sunt: h. e. minores septennio.

XX.

Somno oppressus si hominem interficit: quia dormientis nulla est voluntas, nullumq; propositum, pœnis non est obnoxius.

Ebrius

XXI.

Ebrius quamvis furioso aliquo modo comparatur: Nam ebrietas mentis euertit statum & mutat homines ut Poeta canit, in vultus & terga ferarum.

XXII.

Si tamen ea intentione ad ebrietatem bibit ut animosior ad cædem faciendam prosiliat, ultimo eum supplicio afficiendum judicamus.

XXIII.

Nec enim vitium conjunctum vitio excusat maleficium.

XXIIII.

Dolosum homicidium est cædes hominis ab homine facta non culpa neq; casu: sed dolo malo h. e. cum proposito & certo consilio interficiendi hominis: Græci φονον ἑκούσιον *vel* φονον ἐκ προνοίασ.

XXV.

Pro hac homicidii specie pœna sanguinis tam de jure diuino quam humano imponitur.

XXVI.

De jure divino expressi sunt textus Genes. 9. Leuit. 24: Numer. 35. Matth. 26 Apoc. 13.

XXVII.

De jure civili Romanorum homicidæ olim quidem pœna deportationis cum confiscatione bonorum: hodie capitis supplicio afficiuntur.

XXVIII.

Præterea infamia notantur & a dignitate

ferendi testimonij in causis arduis repelluntur.

XXIX.

De jure civili Danorum consulto & cogitato hominem neci dans, si in flagranti crimine ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendatur, capitis pœnam luit, amissis bonis, quorum pars Regis fisco, aut eius qui fisci jus a Rege habet, infertur: pars interfecti hæredibus cedit.

XXX.

Cum hac specie cognationem habet venenatio: Latrocinium: Assasinium & similia.

XXXI.

Venenum malum scienter alicui exhibens ad occisionem, si sequatur mors, tanquam homicida atrox & proditor capitalibus pœnis plecti & vltore gladio ferirj debet.

XXXII.

Homicidis jure aggregantur Latrones qui innocentes & incautos fortunis & vita spoliant.

XXXIII.

Cum Latronibus faciunt Assasini h. e. qui precio hominem mactant, vel ad id faciendum alios locant: vtriq; & mandantes & mandatarij in pari sunt causa.

XXXIV.

Maleficos hosce, Leges & jura tanto prosequuntur odio, vt eos, ne sacras quidem ædes, quæ olim asyla & confugia fuere non tantum alieno ære fatigatis & implicatis, verumetiam magnorum scelerum reis, tutari velint.

Peccat

XXXV.

Peccat itaq; Magistratus, qui hisce humanæ societatis hostibus violantibus conjunctionem illam arctissimam quam natura inter homines constituit, vel accepta pecunia, vel etiam gratis, delictorum veniam facit & securitatem concedit.

XXXVI.

Nam & Dei mandatum quo iubentur viri sanguinum ab altari auelli & abstrahi, contemnunt: & impunitatis spe, quæ, vt Cicero inquit, magna est illecebra peccandi, ad similia scelera committenda alios inuitant.

XXXVII.

Huc quoq; referri possunt homicidia ab ijs perpetrata, qui scelerum conscientia & metu pœnæ manus sibi violentas afferunt & voluntaria morte supplicium anteuertunt.

XXXVIII.

Nam qui furoris rabie & phrenesi perciti fatum sibi accelerant, aliâs integri vitæ, scelerisq; puri, horum alia est ratio.

XXXIX.

Illis iure denegant canones supremum funeris honorem: cum hisce benignius esse agendum, christiana caritas suadet.

XL.

Peccat itaq; Magistratus nonnunquam hac etiam in parte, qui nullo habito respectu personarum, abrumpentes

sibi vi-

ſibi vitæ filum omnes ex æquo carnifici crudelem in modum lacerandos tradit.

XLI.

Porro pænam pro homicidio doloſo á iure impoſitam non eleuat interfecti vilitas, nec interficientis dignitas.

XLII.

Pœna capit. Pœna capitis, decollationem Seneca vocat, hodie alibi gladio, vt in Imperio Romano paſsim & inclyto hoc regno infligitur; alibi ſecuri vt in Anglia. Hiſpania. Iſlandia.

XLIII.

Ius canonicum. De iure canonico homicida ſi eſt Laicus, excommunicationis fulmine feritur; ſi Clericus, deponitur et beneficÿs priuatur.

XLIIII.

Interdum etiam clericus pœna perpetui carceris pane doloris & aqua anguſtiæ ſuſtentandus damnatur; vt commiſſa defleat, & flenda vlterius non committat.

XLV.

Nonnunquam præcedente degradatione traditur curiæ vel brachio ſeculari condemnandus pœna capitali.

Hactenus de III ſpeciebus homicidÿ. Reſtat nnuc IIII de qua, quia latiſsimè patet & nodoſiora quædam continet quam vt ea paucis theſib. comprehendi poſsint ἐὰν ὁ θεὸς ἐθέλῃ proxima noſtra diſputatione conferemus.

Vide disp: proximé ſequentes.

Corollarium.

Ex confeſſione delicti ſola nemo debet condemnari, niſi conſtet de delicto.